Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-442698-p0001-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-442698-p0002-2

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

# INEFFICACI MVLIERVM RENVNCIATIONE

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORVSSIAE MARCHIONE BRANDENBVRGICO ET DVCATVS MAGDEBVRGICI GVBERNATORE ET RELIQVA,

AVCTORITATE atque CONSENSU, INCLYTÆ FACVLT. IVRID.

PRAESIDE

DN. HENRICO BODINO, JCto.

DICASTERII ECCLESIASTICI IN DUCATU MAGDEBURGICO, CONSILIARIO REGIO, PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,

PATRONO SVO OMNI HONORIS CVLTV VENERANDO

PRO LICENTIA

Summos in utroque Iure honores & Privilegia DOCTORALIA rite capeſſendi

IN AVDITORIO MAIORI

D. xv. April. ANNI MDCCXI. Horis ante & pomeridianis

Solenni eruditorum diſquiſitioni ſubmittit

IOH. GODOFREDVS STÜTZING

Hallenſ. Regim. Magdeb. Advocatus.

Halæ Magd. Typis Joh. Gruneri Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-442698-p0003-7

# DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
# INEFFICACI MULIERUM RENUNCIATIONE.

## §. I.

VOcabulum RENUNCIATIONIS varias in Iure ſortiri ſignificationes, manifeſto liquet; Interdum enim pro NUNCIATIONE ſumitur, *L. 16. ff. de nov. oper. nunciat.* interdum pro RELATIONE ſeu TESTIMONII genere, quod Architecti & menſores faciunt, & germanicè vocant eine Weiſung adhibetur, vid. *L. 1. pr. & L. 5. §. 1. & 2. ff. ſi menſ. falſum mod. dix.* aliquando pro DESIGNATIONE ſeu PUBLICA DECLARATIONE legitur; ſic olim RENUNCIARI dicebantur Magiſtratus, qui voce Præconis in campo declarabantur, ſuffragio populi deſignati, prout Cic. *in Verrem & pro Mil.* it. Gell. *Lib. 12. cap. 8.* tradunt, conf. Alciat ad *L. 40. ff. de V. S.* Barnab. Briſſon *de V. S. voc. renunciare.* Præterea etiam in malam partem RENUNCIATIONIS vox accipitur, quorſum pertinent RENUNCIATORES CONSILIORUM i. e. proditores, *L. ſi quis 38. ff. de pœn. L. 6. §. 4. ff. de re mil.* quin & in Iure Can. BENEFICII ECCLESIASTICI RESIGNATIONEM paſſim denotat, conf. Dom. Præſid. *diſput. de renunciat. dot. fact. §. 3.* ſcopo noſtro denique convenienter

Variæ vocis acceptio

uſurpatur pro REFUTATIONE, ABDICATIONE, REMISSIONE vel REPUDIATIONE alicujus juris aut beneficii nobis competentis, germ. Verzicht Verzeihung / it. eine Aufflaſſung und Begebung ſeines Rechts / ejus ſenſu renunciatio prædicatur de ſponſalibus ſeu nuptiis, quando ſponſalia ſeu nuptiæ dirimuntur, *L. 2. § 1. & 3. ff. de divort. atque repud. L. 1. C. de ſponſal.* ut & pignoribus vid. *t. t. C. de renunc. pign. &c.* ut de pactis *L. fin. C. de pact. Cap. quamvis de pact. in 6to.*

§. II.

Quemadmodum vero hæc materia de renunciationibus jurium eſt uſu frequentiſſima, licet a Schiltero in *Exercit. ad ff. II. Θ. 22.* inter actus per ſe nocivos non immeritò referatur, ita fere ubivis eadem apud. Dd. reperitur, variique de illa integri tractatus exiſtunt, quorum præcipui Paul. Gallerati *Ven. anno 1661. in fol.* it. Giphanii, Dalneri, Breulæi, Kellenbentii cum notis & præfatione Dom. Joh. Schilt. *2. tom. 4.* nuperrime 1701. Argentorati editi conſpiciuntur, antiquos ſcriptores etiam non tangam. Eſt quippe ejus origo antiquiſſima & praxis quoque apud omnes cognita gentes, unde non immeritò Dom. Schilterus *cit. loc. in præfatione* originem renunciationis ex jure naturæ & gentium deducit, moribusque Germanorum, quippe quæ ſimplicitate ſua ſe commendant, eandem refert, proinde ad illam nec juramentum nec judicialem ſolennitatem expreſſe requirit, tantumque duobus hiſce fundamentis ac regulis fundavit: *juri ſcilicet ſuo cuivis renunciare permiſſum, optimumque rei & juris ſui quemlibet moderatorem eſſe ac arbitrum.* Quæ cum ita ſint, inſtituti mei in præſens haut erit, ea in genere, quæ ad hanc materiam ſpectant excutere, ſed ea ſaltem tangere, quæ maxime circa RENUNCIATIONES MULIERUM obſervanda veniunt, ut inde conſtet, an & quatenus eædem in jure ſubſiſtant, efficaciamque ſortiantur? porrò qui caſus hic neceſſariò pertineant, & unde plerumque infringi poſſint, ubi inſimul uſum practicum ſuis locis adponemus, & in ſubſequentibus pro viribus deducemus.

Origo renunciationis.

ejusdemque fundamentum duplex.

Scopus diſputationis.

§. III.

Præſupponendum hic autem ante omnia eſt, ſexum

mulie-

muliebrem fragiliorem eſſe & imbecilliorem, uti quidem maſculinum, id quod etiam jura noſtra obſervarunt. Hoc intuitu mulier ſive eandem virginem *L. 13. ff. de V. S.* ſive in conjugio viventem, ſive denique inter viduas mœſtam ſedentem *L. 242. §. 3. ff. de V. S.* appellemus IMBECILLIS UTCUMQUE *L. 2. §. 2. ff. ad JCtum Vellej. L. 23. C. de nuptiis.* FRAGILIS, *L. 20. C. de donat ante nupt. L. Un. §. 15. C. de rei ux. act.* INFIRMA *L. 9. ff. de jur. & facti ignor.* deceptionibus obnoxia *Nov. 61. c. 1. & 2.* plerumque etiam adverſus propria commoda laborare dicitur *L. 4. C. de ſponſal. L. 23. C. de nupt.* Ne itaque inopia judicii circumventæ lædantur mulieres, vel ut ait Imperator, NE FRAGILITATE NATURÆ SUÆ IN REPENTINAM DEDUCANTUR INOPIAM *d. l. un. §. 15. C. de R. V. A.* ideo æquiſſima ſane ratione legum latores ſingularia ipſis conceſſere beneficia, quibus contra aliorum deceptiones tutæ exiſtant, ſed ecce, quo magis eis leges proſpexere, eo magis ipſorum juribus detrahere in praxi homines ſtudent, id quod imprimis per RENUNCIATIONEM IURIUM fit, quæ ſi ſemper valerent, revera beneficia mulieribus indulta otioſa fierent, cum teſte Tiraquello *de Leg. connub. L. 1. n. 71.* ſæpe vel minis, vel blanditiis, vel pollicitationibus, ut beneficiis ipſis competentibus renuncient facile inducantur *L. 21. C. ad SCtum Vellej. L. 41 ff. de min.* Cum itaque renunciationes earundem ita comparatæ ſint, ut in præjudicium ac perniciem illarum quam maxime vergant, ideo easdem non niſi certis adhibitis præcautionibus de jure ſubſiſtere poſſe certum eſt.

## §. IV.

ANTE OMNIA ergo I. hic requiro CERTIORATIONEM IURIUM. Equidem in alia omnia videtur abire Paulus Galleratus *de renunciat. t. 1. L. 3. c. 10. n. 3.* exiſtimans renunciationem etiam valere ſine certioratione, quæ ſententia tamen fundamento caret; Quin potius aſſerendum eſſe judico, renunciationem nullam valere, niſi perſonæ renunciantes exactam competentium beneficiorum notitiam habeant, cum nemo renunciare dicatur juri, quod ignorat *l. 9. §. ult. ff. de tranſact. l. mater 19. de inoff. teſt, Cap. 16. X. de jure jur.* Guido *dec. 274.* & ignorans nihil faciat, prout inquit Paul de Caſtro *in l. ſervitutes n. 11. ff. de ſer-*

Requiſita, quæ circa renunciationes mulierum obſervanda, quorum I. Certioratio.

*de ſervit.* aperte idipſum firmatur per R. J. de anno 1512. §. 14. ubi ita: Nachdem die Verwilligung und Meynung des der alſo vor ihm handelt/ und contrahiret/ ein weſentliches und ſubſtantial Stück iſt/ deſſelbigen Contracts oder Handlung/ und aller andern Dinge/ deren ſich die Parheyen vereinigen/ und überkommen/ ob ſie gleich von Gewohnheit wegen dabey geſetzet würden; und denn ſolcher Conſens und Verwilligung nicht geſtrecket werden möge auff dasjenige ꝛc. ausſprechen laſſe ꝛc. multo magis ergo in mulierum renunciatione tam judiciali, vid. elegantiſſime *Mev. ad jus Lubec. l. 1. tit. 5. art. 7. n. 125.* quam extrajudiciali certiorationem prævià beneficiorum edoctione ſub præjudicio nullitatis primario requirimus Gail. *2. Obſ. 77. per tot.* Herinus *de fidejuſſ. c. 7. n. 477.* Ut judex, pars, vel etiam Notarius, ſi easdem omiſerint, alteri parti teneatur adintereſſe Gail. *d. l.* Berlich. *p. 2. Concl. 19. n. 84.* Conf. Dom. Joh. Sam. Stryk. *diſput. de certiorat. jur. certiorand. Cap. 5. n. 12. 17.* & licet hæc in judiciali interveniſſe præſumatur, cum quæ in judicio fiunt, rite ſolenniter & decenter facta dicantur; in extrajudiciali tamen coram Notario facta renunciatione ex ſolo ejusdem teſtimonio, quod ſc. *in* inſtrumento certiorationem, prævia ſufficiente beneficiorum explicatione præceſſiſſe atteſtetur, non præſumitur, ſiquidem teſte Hippol. de Marſil. *in tr. de fidejuſſor. n. 39.* communiter contingit. & experientia rerum magiſtra hoc docet, quod Notarii utplurimum ſint fratres ignorantiæ, & ſi reperitur unus doctus, reperiuntur viginti quinque ignari & inexpertes, nullam beneficiorum renunciandorum habentes notitiam, indeque partem de eo, quod ipſi ignorant certiorare nequeant.

Judex pars vel notarius eandem omittens, alteri ad intereſſe tenetur.

in renunciatione judiciali interveniſſe præſumitur.

Secus in extrajudiciali, & ex ſola notarii atteſtatione non præſumitur.

§. V.

II. auctoritas & interventio Curatoris.

Deinde II. ad omnem mulierum renunciationem, ut valida dicatur ex Saxonum jure auctoritatem & interventionem Curatoris poſtulamus, qua vel ideo opus erit, ne mulieres propter innatam quaſi judicii imbecillitatem, animique inconſtantiam, jurisque imperitiam, uti in §. 3 fuſius id indica-

dica-

dicavimus, ſuaviſſimis maritorum, aliorumque blanditiis ac perſuaſionibus inductæ, ac quaſi illitæ, juribus & beneficiis ipſis competentibus tam facili modo renunciantes lædantur ac decipiantur. Ideo enim Curatores, auctoritate publica a Magiſtratu competente iis conſtituuntur, ut mulieri, tam in judicio, quam extra judicium, in negotiis obvenientibus, inque ejusdem præjudicium tendentibus aſſiſtant, conſenſum eidem præbeant, & ad uberiorem actus validitatem auctoritatem ſuam interponant, ſollicitus ergo ſit curator, ut officii ſui memor in renunciationibus tanquam negotiis ad mulieris detrimentum maxime vergentibus, & odioſis, prudentiam & cautionem adhibeat, magisque tales diſſuadeat, quam nimium facilis ad eas mulierem inſtiget, conſenſumque & auctoritatem ſuam non niſi re ac circumſtantiis probe conſideratis interponat, ne alias cum maximo ſuo damno, ſi forte ad intereſſe conveniatur, ſerius ſapere diſcat, vid. *alleg. diſp.* Dom. Joh. Sam. Stryk. *c. 5. n. 12. 17.* Curator quis?

§. VI.

Equidem de jure civili auctoritas & interventio curatoris non neceſſaria videtur, partim quod eo jure renunciationes mulierum difficulter admittantur, ceu paulo infra fuſius oſtendam; partim etiam quod jure civili Juſtinianeo nil amplius de cura mulierum reperiatur cum per *l. 2. C. ad SCtum Vellej.* liberum omnino arbitrium fœminis relictum ſit, de rebus ſuis pro lubitu diſponendi, ſive ſolutæ, ſive matrimonio ligatæ fuerint, quamvis hoc quoad maritatas ad paraphernalia tantum ſit reſtringendum, dotalium enim maritus dominus eſt & dicitur in *l. 30. C. de jur. dot. l. doce ancillam 9. C. de R. N.* Nihilominus tamen hanc mulierum curatelam æquitati naturali ſatis congruam, & ita maribus delatam eſſe arbitror, cum jure naturali eos, qui imbecillioris ſexus, judicii ac fragilitatis ſunt, alterius cura regi, conveniens ſit; inde eadem quoque a ſanioribus gentibus recepta eſt, & ad Græcos translata, quippe qui ob ſexus infirmitatem, rerumque forenſium ignorantiam teſte liv. *Lib. 34. cap. 2.* ne privatam rem quidem fœminas agere ſine autore, ſed in manu eſſe parentum, fratrum viro-

virorumque voluerunt, quinimo jure antiquo mulieres tutela perpetua contineri Boet. in top, aſſerit, e Græcorum moribus tandem ad Rom. *l. 12. tab.* eandem tranſiiſſe veroſimile eſt, Conf. Illuſtr. Dom. Thomaſ. in *diſp. de exig. uſu SCti Vellej. in for. Germ.* §. 1. & 2.

§. VII.

Contra Longobardorum legibus, gentis origine Saxonicæ cautum erat, mulierem ſine *mundio*, ſive *mundualto* ſeu *mundoalto*, quod nobis hodie tutor ſeu Curator muliebris eſt, vid. Wehner *in obſervat. vir. pract. voce* mundbar mundebürde ꝛc. in ſuæ poteſtatis arbitrio vivere non debere, atque ideo hæc jura moribus hodiernis etiam extra Saxoniam uſu recepta legimus, ut hodie mulieres in perpetua cura ſint, & quidem nuptæ in maritorum, ſolutæ vero in propinquorum, vel a Magiſtratu datorum, quod etiam plerorumque locorum, Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ Germaniæ, aliisque in terris ac regionibus obſervari ſcribit, & probatiſſimorum auctoritatibus munit ac tradit Joach. Wibelius *ad Conſtit. Wurtemb. c. 2. n. 36. ſeqq. Confer.* Schilterus *ad p. 37. §. 241. locisque ibid. alleg.*

§. IIX.

Vt & jure Sax. & Magdeburgico.

Atque hoc ipſum etiam tam jure communi Saxonico per Landrecht *art. 45. l. 1.* quam Electorali, & quidem in famoſisſima illa divi Aug. *Conſtit. 15. p. 2.* ſancitum ac conſtitutum legimus, ea tamen differentia adhibita, ut ſecundum illud auctoritas & interventio tutoris ſeu Curatoris tantum ad actus judiciales reſtringatur, relicta libera mulieri facultate, extra judicium de rebus ſuis pro arbitrio diſponendi; ſecundum hoc vero poteſtas gerendi negotia ſua mulieri innuptæ ad mobilia, quæ ſummam 500. ſolidorum non ſuperant coarctata eſt; cæterum in omnibus ac ſingulis negotiis judicialibus, quæ rationem judicii depoſcunt, neceſſitas & præſentia Curatoris requiritur. Ab utroque tamen jura Provincialia Ducatus Magdeburgici ſecedere videntur, ſiquidem in Ordin. Proc. ren. *Cap. 13. §. 1. in med.* dicitur: Wie denn auch in denen extrajudicial Handlungen / als Contracten ſo mit frembden und nicht unter Eheleuten ſelbſt geſchloſſen werden/

testa-

teſtamenten / Schenckungen des Fahrnüſſes unter denen Lebendigen / oder auff dem Todes-Fall / die Gegenwart und auctorität eines kriegiſchen Vormundes nicht von nöthen / ſondern es iſt darinnen nach denen gemeinen beſchriebenen Rechten zu verfahren.

§. IX.

Tandem III. in omni mulierum renunciatione generaliter requirimus, ut certioratio, beneficiorumque renunciandorum edoctio ſpecialiſſima præceſſerit, dum clauſulæ renunciationis generales, magis ex conſuetudine, quam partium conſenſu & ſpeciali certioratione de beneficiis ipſis renunciantibus competentibus inſtrumentis inſeruntur Gail. 2. *obſ. 77. n. 6.* generalis renunciatio eine allgemeine Verzicht vero non valet quoad ea, de quibus renuncians tempore renunciationis nullatenus cogitavit per *L. tres fratres 35. & l. emtor. 47. §. Lucius Titius* 1. *ff. de pact.* nemo quippe juri ignoto renunciare cenſetur *l. 19. §. Cæterum ſi quis ff. de inoffic. teſtam.* & hoc non ſolum in ſimplici ſed in jurata quoque renunciatione procedit. Quamvis etenim ex communi Dd. opinione mulier virtute juramenti efficaciter obligata dicatur, etiamſi de beneficio renunciando in ſpecie non ſit certior reddita, quoniam juramentum loco certiorationis eſſe videtur, & mulier præſtatione juramenti omni legum ac juris auxilio renunciaſſe cenſetur Frantz. *ad tit. ff. ad SCtum Vellej. n. 28.* Zanger *de Except. p. 3. c.* 11. *n. 63.* ſi non in ſpecie tamen in genere Gail. *2. obſ. 77. n. 10.* non tamen rationes iſtæ ſtringentes ſunt, adeo, ut Mev. ad Jus Lubec. *l. 1. t. 5. a. 7. n. 221.* minus tutam hanc eſſe opinionem aſſerat, ſed potius renunciationem cum alleg. Prukmanno præter juramentum adhibendam ſuadeat, partim, quia juramentum, quod contra legem prohibentem eſt conceptum, non valet, *l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 5. C. de LL.* nec ad incognita extenditur, Stryk *de jur. ſenſ. diſp.* 10. *c. 7. n. 3.* ſiquidem non potuit cogitaſſe jurato renuncians de iis juribus, quæ non intellexit,

III. Specialiſſima beneficiorum renunciandorum edoctio.

tam in jurata quam ſimplici.



partim

partim quia hoc in caſu mulieris conſenſus etiam deficit, juramentum autem actum confirmare nequit, ubi conſenſus deeſt. Berlich. *p. 2. concl. 19. n. 19.* & ab eo laud. Ant. Teſſaurus cum juramentum non ſit principale negotium ſed actus tantum acceſſorius, inde quicquid ad negotium principale rite ineundum, illud quoque ad ſubſiſtentiam acceſſorii requiritur, Conſ. d. Dom. Joh. Sam, Stryk. *diſp. de cert. jur. renunc. c. 3. n. 17. ſeqq.* ut taceamus, quod *in Cap. etſi Chriſtus 26. X. de jur. jur.* tres comites, veritatem judicium & juſtitiam juramentum habere dicatur, qui tamen hic exulant, & quod illud vinculum iniquitatis eſſe nequeat, *cap. cum quidam 12. §. ult. d. t.* Interim dolendum ex perverſis ac depravatis in judiciis moribus juris Canonici obſervantiam, quæ aſſertis noſtris contrariatur, & principiis juris civilis & naturalis adverſatur, hac in parte receptam eſſe.

§. X.

Tranſitio ad caſus renunciationis mulierum ſpeciales.

Conſideratis itaque in genere eis, quæ circa mulierum renunciationes, ut efficaces habeantur, neceſſario obſervanda veniunt, nunc ad caſus ſpeciales progredimur, e quibus occaſione conſtitutionis Electoral. Sax. *21. p. 2.* notamus, quod cum Imperator Juſtinianus in *Nov. 134. Cap. 9.* ex qua deſumpta *Auth. hodie C. de curt. reorum, & auth. ſed hodie C. de offic. div. jud.* ob cauſas civiles & pecuniarias ſeu debita propria carceri includendam expreſſe prohibuerit mulierem, ex ratione a pudore ſexus petita, ne ſcilicet quis in illa ſolitudine ſtruat inſidias pudicitiæ fœminarum, nec verecundiæ muliebri conveniat, commentarienſium diſcretioni eas concedi, ac admiſceri cœtui virorum, mulier ne quidem vi propriæ conventionis & ſpecialis pacti ad carcerem ſe obligare queat, etiamſi beneficiis ſuis ac juribus conſenſu ac auctoritate Curatoris interveniente, obligationique in proprium ipſius debitum contractæ, renunciaverit, cum privilegium hoc publicæ honeſtati datum ſit, conſequenter huic abſolute & plane non renunciare poſſit, Brunnem. *ad d. auth. n. ult.* Secus tamen

I. an mulier ad carcerem in cauſa civili & pecuniaria ſe obligare poſſit?

men eſt hoc Jure Elect. Sax. ubi per datam conſtitutionem fœminam debitricem, quæ pacto ad carcerem ſe obligavit, ſi in ſolutione ceſſet, arreſto detinendam, vel in carcerem etiam conjiciendam recte ſtatuit Carpz. *p. 2. C. 21. def. 9.* & ex pari fundamento obligatio perſonalis arreſti mulierum in cambiis, originem ſuam traxiſſe videtur.

§. XI.

Vt porro ad renunciationes hereditatis, dotis ac legitimæ deveniamus, varii in illis occurrunt caſus, ubi jura ne quidem mulieribus efficacem permittere ſolent renunciationem, qui in diverſas obvenientibus circumſtantiis, quæſtiones ſe reſolvunt, quarum ſingulas, prout ad materiam præſentem ſpectare videntur, brevibus evolvemus. Equidem de jure civili PACTA HEREDITATIS RENUNCIATIVA in totum prohibita legimus, *L. fin. ff. de ſuis & legit. hered.* quia talia pacta plena triſtisſimi eventus dicuntur *L. fin. C. de pact.* & hereditas, uti pacto neque dari, ita nec adimi poteſt. Hart. Piſt. *p. 4. qu. 1. n. 1.* Struv. *S. J. C. Exercit. 6. Θ. 44.* ne alias per indirectum quis teſtari prohibeatur, *d. l. fin. C. de pact.* Ant. Fab. *in Cod. l. 2. t. 3. d. 10. n. 1.* Moribus tamen eadem valere ſolent, dummodo Jure Saxonico coram Judice & teſtibus facta fuerit, per textum expreſſum in Land-Recht *l. 1. art. 13.* in med. verbis: Hätten ſie auch ihre Erbtheilungen / ibique Gloſſa, inprimis, ſi quod Jus Canonicum poſtulat, in mulierum renunciationibus vinculum juris jurandi acceſſerit, *C. 2. de pact. in 6to Cap. 28. X. de jur. jur.* quod & Jure Saxonico Electorali, & quidem corporale juramentum, neceſſario requiritur, Conſ. *Conſt. 75. p. 2. ibique* Carpz. *def. 6.* Müller (ubi ita in Scabinatu Lipſienſi pronunciatum teſtatur) *L. 2. ſemeſtr. c. 9. incipit. Pater filiam quam habebat unicam per totum.* Quod ſi tamen pater filiam in teſtamento heredem inſtituit, tunc jurata renunciatione non obſtante, eidem nihil omnino ex teſtamento ſuccedere poteſt, per text. clarum in *Cap. inter 2. ſub fine X. de renunciat.* Joachimus Beuſt *ad L. 1. ff. de jur. jur. n. 226.* Mynſ.

Pacta hereditatis renunciativa quousque valeant?

*Cent.* 2. *obſervat.* 7. tum quoniam præcedens renunciatio de ſucceſſione ab inteſtato, & non ex teſtamento intelligitur, Dom. Harprecht Conſil. Tübing. *I. p.* I. *per totum* & pater per inſtitutionem cenſetur filiæ & judicio & voluntate remittere juramentum quod ipſi permiſſum, Mynſ. *d. Cent.* 2. *obſ.* 7. *n.* 2. Gail. *l.* 2. *obſ.* 148. *n.* 11. tum quia ſi aliter ſentiremus, per ejusmodi renunciationem, patri teſtamenti factionem auferemus, quod & contra naturalem æquitatem, & bonos mores cenſemus, *L. pactum quod dotali* 5. *C. de pact. L. ex facto* 43. *pr. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. L.* 61. *ff. de V. O.*

## §. XII.

III. Renunciatio Patris filiæ non præjudicat.

Interim rennunciationem patris pro filio aut filia factam, quod vel in hereditate materna, vel alicujus e collateralibus contingere poteſt; nullatenus ſubſiſtere putamus, eo effectu, ut ex tali renunciatione ullo modo teneantur liberi; Licet enim parens legitimus adminiſtrator bonorum ad liberos ſuos pertinentium dicatur, *L. fin.* §. *ſin autem æs alienum* 4. *C. de bon. quæ liberis.* Paterque & filius pro una eademque perſona habeantur, per *L. fin. de impuberibus ſubſtitut.* Struv. *S. J. C. Exer.* 3. *Θ.* 40. Nihilominus tamen ejusmodi renunciatio, tanquam actus maxime odioſus, inque liberorum præjudicium tendens, haut valet, cum pater liberis ſuis præjudicare nequeat *L.* 114. §. *divi* 14. ibique Dd. *de leg.* 1. niſi ipſorum conſenſus expreſſe quoque intervenerit *d. l. fin.* §. 6. *C. de bon. quæ libr.* quod æque marito in bonis uxoris & Jure Civ. & Sax. interdictum Conf. DN. Stryk diſput. *de filia nobili ren. cap.* 2. *n.* 6. 7. quia ex alterius conventione nemo poteſt obligari §. 3. *Inſt. de inutil. ſtipul. L.* 38. *pr.* & §. 1. *ff. de V. O.* hinc fruſtra alienum factum promittitur *L.* 83. *pr. ff. de V. O.* nec permiſſio tertium ſtringit; cum ſe obligare noluerit, omnes quippe obligationes, niſi ex perſona noſtra initium ſumant, inanem actum efficiunt, *L. quæcunque* 11. *de obl. & act.* ibique Brunnem. *n.* 1. & 5. Conf. Cz. *p.* 2. *C.* 15. *d.* 38.

IV. Nec mariti, uxori.

§. XIII.

## §. XIII.

Vires tamen renunciationis neutiquam tollit ſupervenientia liberorum, ob quam alias perfectam donationem revocari poſſe, Dd. volunt per *L. ſi unquam 8. C. de R. D.* cum d. l. conſtitutio tantum procedat in donatione rerum quæ jam ſunt quæſitæ, minime tamen in renunciatione juris quærendi, & a futuro eventu incerto ac ambiguo adhuc dependentis, Tiraquell. in *d. l. 8. C. de R. V. verbo donatione largitus n. 151. & 180.* quod multo magis locum habet in caſu quo renunciatio in pactis dotalibus facta fuerit; nam tunc veroſimiliter renuncians cogitavit de liberis ex eo matrimonio procreandis: quoniam ſi alias unquam quis cenſeri debeat cogitare de futuris liberis, tunc maxime cenſendus eſt, cum matrimonium contrahit id. *in præfat. ad D. l. n. 69. incipit ſed hæc, cum alleg. Dd.* multo minus defectus inſinuationis, quoad ſubſtantiam ſuam, renunciationem vitiat, quia proprie donatio non eſt, *L. 5. §. 13. ff. de donat. L. 5. §. ult. ff. quæ in fraud. credit.* & licet vera donatio eſſet, inſinuanda tamen non eſt, Brunnem. *ad l. 23. ff. de don.* quia id quod renunciatione donatur, non competit filiæ de præſenti, ſed de futuro, Gomez. *tom. 2. reſol. t. 4. n.* 10. *Molin. de J. & J. diſp. 279. n. 13.*

V. Supervenientia liberorum renunciationem non vitiat.

VI. Nec defectus inſinuationis.

## §. XIV.

Pertinet quoque huc caſus, quo mater ſolenniter & jurato herditati paternæ renuncians ante parentem e vita decedit, ubi equidem renunciationem nec ſubſiſtere, nec liberis relictis præjudicare poſſe arbitramur, ſed hi tunc recte ad avi hereditatem cum reliquis admittuntur, quia renunciatio cenſetur facta ſub conditione SI SVCCESSIO DEFERATVR, Rol. a Valle *Conſ.* 11. *n. 2. & 5. Vol. 1.* Gold. *Conſil. Marpurg. 27. n. 61. Vol.* 1. dum vero non fuit delata, defuit conditio, & pro non facta habetur ac perinde eſt, ac ſi nulla unquam præceſſerit renunciatio *L. Mevius 55. ff. de cond. & dem.* Cravetta *Conſ.* 127. *n.* 1. *& 4. it. Conſ. 84. n. 5.* nepoteſque ex præmortua filia ſuperſtites veniunt ad ſucceſſionem avi EX PROPRIA PERSONA, &

VII. Matris renunciatio nepotibus in adeunda hereditate avi non obeſt.

proprio Jure, non ex perſona matris, utpote repræſentantes gradum matris, non perſonam, §. *cum filius 6. Inſt. de her. quæ ab inteſt. defer.* præterea ea renunciatio eſt perſonalis, nec magis perſonam renunciantis egreditur, quam jusjurandum, quod ad eam confirmandam neceſſario adhibetur: cum itaque renunciato talis demum virtute juramenti valeat, hoc vero perſonam jurantis non egrediatur, ſequitur ut renunciatio hæc liberis obeſſe non poſſit; inde certum eſt, ut quamvis mater ſi viveret, excluſa eſſet per renunciationem, nepotes tamen ex ea non ſint excluſi, cum proprio jure veniant ad ſucceſſionem *L. an vitium 5. §. 1. ff. de div. temp. præſcript.* Conf. Ant. Fab. *ad C. def.* 1. & 14. *de pact. per tot.*

§. XV.

An hoc caſu ea quæ mater renuncians accepit, conferantur?

Sed an nepotes ex filia præmortua exiſtentes & ex perſona propria ſuccedentes avo, in communem hereditatem conferre tenentur ea, quæ mater præcedente renunciatione vel dotis, vel legitimæ loco acceperat, reſpondemus diſtinguendo, aut enim ſunt illius heredes facti, aut hereditatem matris repudiarunt; priori caſu omnino ad collationem obſtricti ſunt, ut inter eos, qui pari ſucceſſionis gradu ſunt, & veniunt, ſuccedendi æqualitas ſervetur *L. maximum vitium 4. C. de lib. præt.* poſteriori vero ab onere collationis immunes habentur, nec ipſis id quod non habent conferendum eſt, cum non ex facto parentum, quorum heredes nunquam fuerunt, nullum lucrum ſentiant. Vid. Cz. *p. 2. C. 35. d. 11. Ant. Fab. alleg. loco def.* 16. & 17.

§. XVI.

IIX. An legitimæ renunciari poſſit?

Renunciationem legitimæ quod attinet, Dd. valde ambigunt, an illa valida ſit nec ne? alii cum eandem in locum alimentorum cedere ſtatuant, ſecundum *L. 7. pr. ff. de bon. damn. ibique* Gottofr. *in notis, Cap. jus naturale 7. diſt.* 1. Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 7. n. 4.* inprimis futurorum, nullam renunciationi efficaciam tribuunt, cum hac ipſa necare videatur qui alimenta detrahit, per *L. necare 4. ff. de agnoſc. vel alend. lib.* Dom.



Zœſ.

Zœſ. *ad ff. tit. de pact. n. 41.* alii indifferenter legitimæ etiam renunciari poſſe aſſerunt, Mev. *p. 5. dec. 283. n. 7.* Paul. Gallerat. *de renunciat. t. 2. Cent. 1. ren. 47. n. 5.* utraque opinio ſuis rationibus ſat prægnantibus munita eſt, certoque reſpectu defendi poteſt, hoc temperamento adhibito, ut diſtinguamus inter liberos egenos & divites, ita ut illis quidem renunciatio non obſit, bene tamen his, quippe quibus parentes ne quidem ad alimenta amplius obſtringuntur *l. 5. §. 7. ff. de agnoſc. vel alend. lib.* Idem de renunciatione beneficii competentiæ ob rationis paritatem putamus, quamvis illud in muliere, cui forte ob dignitatem mariti id competit, irrenunciabile judicemus.

IX. An beneficio competentiæ?

## §. XVII.

Denique circa renunciationis hereditatis materiam occurrit O. P. M. *§. 39. cap. 44.* ſequentis tenoris: Und ſtehet dem Manne ſo wenig als dem Weibe frey / durch ein teſtamentum, fideicommiſſ, donation, oder in andere Wege des Ehegattens obgeſetzte portionem ſtatutariam (quæ diverſa eſſe ſolet, pro obveniente numero liberorum vel caſus, ubi conjuges absque liberis decedunt, vid. *d. o. d. c.* §. 35. 36. 37. & 38.) ohne des andern Einwilligung zu benehmen / geſtalt denn dieſe Satzung / ohne Unterſcheid der verſtorbenen Zuſtande / ob ſie arm oder reich geweſen / ſtatt finden ſoll ꝛc. ubi hanc quæſtionem movemus, annon vidua ad ſecunda vota tranſiens, ſi diviti viduo aliquot liberos ex priori matrimonio habenti nubat, confectis antea pactis dotalibus, portioni ſtatutariæ, ſeu ſucceſſioni ſecundum eandem, valide, & ſine juramento renunciare poſſit? videtur dicendum quod ſic, cum pacta ſi legitime & ſecundum receptam conſuetudinem inter conjuges confecta fuerint, præciſe cuſtodienda ſint, doc. Gail. 2. *Obſ.* 126. *n. 3.* Boër. *dec.* 355. *n. 2. 3.* nec tantum valida habeantur, ſi ſtatuto ejusque lucro aliquid addunt, ſed etiam ſi diminuunt, cum cuilibet conjugum

X. An portioni ſtatutariæ?

gum juri ſuo renunciare permiſſum ſit *l. pen. C. de pact.* inprimis ſi utriusque eorundem conſenſus intervenerit, quod & ipſa laudati §. verba circa finem, mit des andern Einwilligung ꝛc. innuunt, ea igitur portione contenti debent eſſe conjuges, quæ pactis definita eſt, nec ultra aliquid dotis vel lucri cauſa petere licet, Schurff. *Cent.* 1. *Conſ.* 42. *n.* 8. Schultes. *ad Mod. Piſtor. p.* 1. *qu.* 48. *n.* 77.

§. XVIII.

Sed his non obſtantibus ante biennium & quod excurrit quidam ex inclyta hujus Fridericianæ Facultate juridica, in caſu, ubi mercator hujus civitatis, ob ingentes ſuas divitias admodum notus deceſſerat, relictis ex priori conjugio 5. liberis & vidua, cum qua pacta dotalia inierat, quod ſc. ſi maritus ante ipſam moreretur, in ejusdem bonis relictis non ſuccederet, ſed loco portionis ſtatutariæ 1500. imperiales, & liberam ædium inhabitationem haberet, ſequens dedere

Præjudicium. reſponſum: Als uns eine Species Facti, nebſt einer Frage zugeſendet / und unſere rechtliche Meynung darůber verlan et worden; demnach erachten wir nach fleißiger Erwegung der Sachen vor Recht: Haben Herr G. V. und ſeine Frau C. E. gebohrne H. da ſie anno 1700. in den Eheſtand getreten / gewiſſe pacta miteinander auffgerichtet / darinnen unter andern enthalten / daß die damahlige Braut / wann ſie ihren kůnfftigen Ehemañ überleben möchte / in deſſen nicht ſuccediren / ſondern an ſtatt ihrer ſtatutariſchen Gůter portion überhaupt mit 1500. Rthl. aus ihres Ehemannes Nachlaß / ingleichen mit freyer Wohnung ſich abfinden laſſen wolle / zu welchem Ende ſie der portioni ſtatutariæ ausdrücklich renunciret / es hat auch H. V. indem von ihm nachhero auffgerichteten teſtament es dabey gelaſſen / jedoch ferner diſponiret / daß ſeiner Wittben tüchtige trauer Kleider gegeben / ingleichen derſelben jährlich 20. Thl. ausge-

zahlet

zahlet werden ſollen, nachdem aber nunmehro deſſen Abſterben erfolget/ will die Wittbe damit nicht zu frieden ſeyn/ ſondern vermeinet/ daß ſie nichts deſto minder die völlige portionem ſtatutariam zu fodern berechtiget: Ob nun wohl nicht nur die Witbe ſondern auch deren Curator die auffgerichtete pacta unterſchrieben / die gerichtliche confirmation auch ſonſt nicht eben ad eſſentiam pactorum gehöret / und es alſo ſcheinen möchte / daß wegen Ermangelung ſolcher confirmation die gegenwärtigen pacta nicht angefochten werden könten/zumahlen da die Rechts Lehree der Meynung ſeyn / quod confectis pactis dotalibus ſucceſsioni in portione ſtatutaria locus non detur, ſed ea valida ſint, licet lucra ex ſtatutis diminuant, cum cuilibet juri ſuo renunciare permiſſum ſit, wie ſolches weitläufftig ausführet Mevius *ad Jus Lub. p. 2. l. 2. art. 12. n. 363. ſeqq.* Dennoch aber und dieweil anfänglich die H. G. V. und der itzigen Wittben auffgerichtete pacta nicht eigentlich pro pactis dotalibus geachtet werden mögen / cum in illis neque dos, neque donatio propter nuptias conſtituta fuerit, quod tamen principale objectum eſt eorum pactorum Stryk. de C.C. cap. 8. §. 1. cum allegat: Und ſie dannenhero pro nudis pactis renunciativis zu achten / hiernechſt aber wenn ſelbige auch pro pactis dotalibus gehalten werden könten / dennoch darinnen eine ſucceſsionis futuræ renunciatio, ex lege Provinciali debitæ, enthalten / aus denen Rechten aber bekandt iſt / quod nulla renunciatio futuræ ſuccéſsionis valeat, adeo ut ne quidem formulæ am Eydes ſtatt / vel bey Gräffl. Adelichen Ehren &c. ſufficiant Kellenbenz *de ren. ſucceſ. qu. 2. & 3. p. 101.* cum ſc. juramentum pro forma requiratur, in eoque unica decidendi ratio conſiſtat, & ſit de ſubſtantia renunciationis, ut proinde forma hæc ſpecifice impleri debeat, eaque omiſſa actus corruat,

Ratio ne dubitandi.

Rationes decidendi.

Stryk. *de ſucc. ab inteſt. diſp. 8. c. 10.* §. 18. nec juramentum partium conventione remitti poſſit, & licet remiſſum fuerit, pro præſtito tamen non habeatur, ſi renunciatio impugnetur, id. loc. all. quod in Elect. Sax. quoad fœminas renunciantes ob imbecillitatem ſexus muliebris eodem modo obtinet Carpz. *p. 2. C. 35. dec. 7.* unde illo deficiente, pactum renunciativum dotali inſtrumento interpoſitum, neque in vim pacti valet, neque teſtamenti, aut alterius cujuscunque voluntatis *Möller L. 2. Semeſtr. Cap. 9.* Auch hierbey wohl in acht zu nehmen iſt / daß ſolche diſpoſitio nicht allein in den Fall zu appliciren / wenn etwa die Kinder der väterlichen Erbſchafft ſich entſagen / ſondern ſie auch alsdenn eodem modo ſtatt finde / quando aſcendentes & collaterales renunciant, Stryk cit. diſp. n. 18. Imo, quod porrigatur ad quoscunque, ſive omnes alios futuræ ſucceſſioni renunciantes, Hartm. Piſtor. *p. 4. qu.* 16. Mev. *ad Jus Lub. p. 2. ad rubr. tit.* 1. *n. 96.* in denen gegenwärtigen pactis hingegen dergleichen renunciatio gar nicht anzutreffen / und alſo die forma *L. præſcripta in Cap. quamvis 2. de pact. in 6to* allerdings ermangelt / auch nichts zur Sache thut / daß ſolche pacta gleichwohl der Curator zugleich nebſt der itzigen Fr. Wittben unterſchrieben / actus enim nihilominus nullus eſt, etiamſi in aliqua tantum parte (hic quoad juramenti præſtationem) forma non fuerit obſervata, quia forma eſt diviſibilis, Tuſch. *Pract. Concl.* 4. & 5. Stryk *de C. C. c. 4.* §. 1. Dahero denn auch ſelbſt die pacta dotalia der ſucceſſioni ex ſtatuto & L. Provinciali nicht derogiren, ſi non legitime, & ſecundum receptam conſuetudinem inter conjuges confecta fuerint, Mev. *d. l. n.* 364. Ferner hierbey zu conſideriren / daß gegenwärtige pacta nicht einmahl vollzogen worden und alſo ſelbige auch ex hoc capite keine verbindliche Krafft nach ſich ziehen können / alldieweilen darinnen circa finem ausdrücklichen enthalten / daß

die

